



1677. 15  
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
DE

**D O T E** 1710  
**NON PROMISSA,** 1910  
**NON PRÆSTANDA,**

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,** [4]  
PRINCIPE BORUSSIÆ, DUC. MAGD.  
VICARIO, &c. &c.

*Ex Decreto Illustris Facult. Jurid. Ordinis,*

PRAESIDE  
**DN. JO. SAMUELE STRYKIO, JC.**  
SERENISS. VIDUÆ SAXO-ISEN. CONSIL. AULICO,  
PROFESS. JUR. ORDIN. ET FAC. JUR. h. t. DECANO,  
*PATRONO ET PROMOTORE SUO DEVENERANDO,*  
PRO LICENTIA U. J.

d. 5. Junii An. 1710.

IN AUDITORIO MAJORI

hor. ante & pomeridianis

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittet

AUTOR

**THEOPHILUS HARTMANN, Cam. Luf.**

Advoc. Ord. Budiss.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, Typ. Acad.

ERRATA TUBICA TUBICUM

DE  
NON PROMISSA  
NON PRISTANDA

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO  
SERRAVALLO PRINCIPIS AC DOMINI  
DN PHILIPPO WILHELMO  
PRINCIPIS ELECTORIS SAC. MAG.



DR JOHANNES  
SERVATVS VIVVS  
PRINCIPIS AC ELECTORIS SAC. MAG.

PAO LICENTIA II

IN ALTA SCHOLA  
SOLUS ET SINGULUS

THEOPHILUS HARTMANN  
CANTOR  
Halle  
1717



Regiæ Majestæt. Polon. & Electoris Saxo-  
niæ Consiliariis Splendidissimis, Circu-  
lique Budisfinensis Senioribus

gravissimis,

*GENEROSISSIMIS atq; EXCELLENTISSIMIS  
DOMINIS,*

**DNO. JOACHIMO  
HILDEBRANDO**

ab **Hund & Alten-Grottkau**

Dynastæ in Unwürda / Rittlich / Gebelzig &c.

Dicasterii Budisfinensis Præfect.

Vicario.

**ET  
DOMINO  
JOHANNI FABIANO  
à PONICKAU,**

Dynastæin Lugâ &c.

Nec non  
VIRO PRÆNOBILISSIMO, AMPLIS-  
SIMO, ET CONSULTISSIMO DOMINO,  
DOMINO

**JOHANNI GOTTLOB  
P L A Z I O,**

J. U. D. Celeberrimo, Reg. Majest.  
Polon. Confiliario dignissimo, & Di-  
casterii, in Superiori Lusatiâ, Superioris Can-  
cellario Spectatissimo,

De Republ. immortaliter meritis-  
simis,

Exercitationem hanc Inauguralem,

in

observantiæ perpetuæ

τεκμήριον,

&

beneficiorum in se multifariam  
collatorum

πνευματικῶν,

devotissima mente

offert

**AUTOR.**



AD LECTOREM.



**S**uasu cujusdam Patroni  
maximi, quondam hospitis &  
Præceptoris mei atatem deve-  
nerandi, jam ante aliquot an-  
nos de ANTICIPATIONE, & qui-  
dem Inauguralem conscribere  
mihî contitueram disputationem, & materia  
multitudo ita labori succurrebat, ut brevi maxima  
disputationis pars felici esset conscripta successu.  
Amplius enim se aperiebat campus, sive ad forum  
Ecclesiasticum, sive Seculare, & hic iterum vel ad  
criminale, vel ad Civile, &, quæ ante, in, & post  
terminum Primæ Instantiæ, litis contestationis,  
probationis, sententiæ definitivæ & leuteratio-  
nis: Secundæ Instantiæ, appellationis, conside-  
randa, respicerem. Cum verò tunc temporis ab

A 3

aliis

aliis gradus assumptio in Jure disuaderetur, ab aliis è contrario suaderetur, tandem eò est devenum, ut priorum amplecterer sententiam, & in elaborando desisterem. Postea, ubi gradus mihi esse videbatur conducibilis, animus erat, nondum penitus elaboratam ad finem tandem perducere disputationem. Sed, quia ita excreverat labor, ut potius Tractatus, quam disputatio appellari potuisset; Insuper nonnullos ante annos sub Excell. Dn, D. Barthii præsidio, eadem de materiâ, etsi non eadem methodo, disputatio publicè habita fuerit Lipsiæ, aliud & quidem præsens thema, de dote ante matrimonium non promissa, non præstandâ, Fautoris nutu, instar, patris venerandi, cui plurima debeo, selegi. Accedit, me hancce materiam satis discussam, hucusque haud reperire potuisse, in praxi autem, non maximo sine Parentum & liberorum damno, cum matrimonii felicitas & infelicitas præsertim inde dependeat, non rarò de eâ controversi. Itaque dictum thema secundum genuinos juris fontes discutere constitui. DEUS T. O. M. quem supplex veneror, & in cuius nomine sec. l. 3. C. de vet. jur. enucl. conficienda omnia, ex alto meis benedicat conatibus.

§. I. Haud



## §. I.



Aud diffitendum, dotes ad ineun- *Interest rei-  
da matrimonia allicere plurimos, publica con-  
& reipublicæ interesse, mulieribus, stitui dotes.*  
in laxiori sensu sumto vocabulo  
*l. 13. ff. de V. S. constitui dotes, cum*  
dotatas esse sc̄eminas ad sobolem  
procreandam, replendamque li-  
beris civitatem, maximè sit neces-  
sarium *l. 1. ff. sol. matrim. CARPZ. p. 2. c. 15. d. 21. n. 8.* U-  
bi autem deficiunt matrimonia, liberi deficiunt, defici-  
unt cives; civitas siquidem est civium multitudo. AN-  
TON HERING *de Fidejuss. cap. 7. n. 45 4.* Quare Le-  
gislatores, cum, vix ac ne vix quidem sc̄eminas absque  
dotibus posse collocari in matrimonium, haberent per-  
spectum, Parentibus necessitatem imposuere, ut filias,  
in patriâ Potestate existentes, sibi bona, ad dotis consti- *Parentum  
est dotare  
filias, ut nu-  
bere possint.*  
tutionem sufficientiam non possideant *a. l. 5. §. 7. ff. de  
agn. & alend. lib. l. ult. C. de dot. promiss. pro facultatum &*  
dignitatis modo *l. 60. 61. pr. ff. de jur. dot. dotent, & ita*  
honestam possint adipisci conditionem *l. 2. ff. de jur. dot.  
l. 19. ff. de rit. nupt. CARPZ. p. 2. c. 39. d. 18. n. 3.* Non pau-  
ci enim hac utuntur voce: Affer tecum, si vis vivere  
mecum *GVAZ. Lib. 3. de Civil. conversat.* Cessante au-  
tem ratione, cessare legis dispositionem, idcirco jam *Diversæ  
Dd. opinio-  
nes.*  
inventâ nubendi conditione, nempe contracto matri-  
monio, Patrem ad dotationem nullatenus esse adstrin-  
gendum, firmiter inter JCTos statuunt nonnulli. Alii,  
potissimum propter *l. f. C. de dot. promiss.* dotis constitu-  
tionem simpliciter esse paterni officii sentiunt. Prius-  
quam autem utriusque partis rationes expendamus, &  
rem ulterius prosequamur, tituli definitio tam nomi-  
nalis,

nalis, quàm realis, cùm pro norma rei propositæ habeatur titulus *BICC. in Præloqu. rerum quotid. aph. 10.* & materiæ illustrationem præstet *l. 1. ff. de O. J.* imprimis erit præmittenda.

## §. II.

*Dotis etymologia.*

Dotis igitur vocabulum quod attinet, & quidem ejusdem etymologiam, notum est, derivari solere à græco verbo *δίδωμι* vel *δίδω*, quod do, dono, largior &c. significat. Unde *δόμα, δόσις*, datio, donum. *BACH. ad Treutl. Disp. 7. th. 1. lit. A. Vol. 2. VARRONI* verò *lib. 4. de Lingua Latinâ*, derivatio à græco *δοσ* placet, quod vocabulum apud græcos donum, nuptiarum causâ ab uxore marito datum, denotat. Perinde autem erit sive illam, sive hanc eligas derivationem, res enim eodem recidit.

## §. III.

*Synonymia.*

Synonymiam concernens, alio nomine 1) propria mulieris substantia *l. 12. pr. C. q. pot. in pign.* 2) proprium mulieris patrimonium *l. 3. §. 5. ff. de minor.* germanico idiomate autem *Morgen-Gabe / Heim-Steuer / Mitgiff / Ehe-Steuer / Ehe-Schatz / Ehe-Geld / Heyraths-Guth / Braut-Schatz / der Frauen Einbringen* &c. appellatur.

## §. IV.

*Homonymia.*

Quod denique homonymiam spectat, ante omnia dotis vocabulum ab æquivocatione liberandum, cum æquivocatio errorum sit genitrix semper: Homonymum hoc igitur sumiter variè. Latissimè pro omni accessione ad sufficientiam alicujus rei necessaria. Unde prædiorum dotes, græcis *ἐνθῆνας*, sub quibus boves aratorii, ligones, stabula, sacci, & quæcunque ad instrumentum pertinent prædium, intelliguntur *a. l. 2. §. 1. l. 20.*

*Latissimè sumitur.*

§. I.

NON PROMISSA, NON PRÆSTANDA.

9

§. 1. 3. ff. de instr. vel instrum. legat. l. 52. §. 2. ff. de fidejuss. & mandat. Sic CICERO Lib. 1. de Orat. cap. 55. indotatam artem verborum dote locupletare & ornare dixit. Latè pro bono, quod nobis est præcipuum. Hinc dotes 1) tum animi, e. g. a) prudentia, quò illud *HORATII* Lib. 3. Carm. Od. 24. vers. 19.

Latè.

*Dotata regit virum uxor.*

& *OVIDII* Lib. 2. de Arte vers. 112.

*Ingenii dotes corporis adde bonis.*

β) Pudicitia. Lacanarum virgo quædam interrogata, quam dotem esset allatura? Pudicitiam, virtutem mihi a majoribus traditam, respondit. *PLUTARCHUS* in apoph. γ) mores. Ita *PLAUTUS* in *Aulular. Act. 2. sc. 2. v. 62.* Dummodo morata recte veniat, satis est dotata 2) tum fortunæ. Hac in significatione cecinit *MARO* *Æneid. Lib. 7. vers. 423. & 24.*

*Rex tibi conjugium & quæsitæ sanguine dotes  
Abnegat,*

II. *HORATIUS* Lib. 3. Od. XXIV. v. 21. & 22.

*Dos est magna parentium Virtus.*

3) tum corporis, ut decora statura, quo Rahelis spectare videtur affatum: dotavit me Deus dote bona. *Gen. 30. v. 23. ir.* Pulchritudo, sic *APULEJUS* in *Apol.* Virgo formosa, etsi oppido pauper, tamen abunde dotata est. Strictè si accipiatur, respectum ad matrimonium habet & 1) titulum seu causam transferendi l. 47. §. ult. ff. de pec. l. 1. 67. ff. de jur. dot. l. 1. ff. sol. matrim. §. 41. §. d. R. D. 2) Ipsum jus l. 7. ff. l. 20. C. de jur. dot. l. 13. §. 2. ff. de fundo dot. 3) rem dotalem l. 3. & seqq. ff. sol. matrim. l. 2. 10. C. de jur. dot. denotat, quæ significatio hujus est loci.

*Aridè.*

B

S. V.

*Definitio est* Considerata definitione nominali, nunc ad rea-  
*θεωριῶν δι-* lem erit progrediendum, ut intelligatur exinde, de  
*ψυχαῖς.* quo disputetur. Est enim definitio *θεωριῶν* totius dispu-  
 tationis, adeoque summe necessaria. Res inter *ICTos*  
*variè defi-* nondum est expedita, quomodo dos definiri debeat.  
*nitur dos.* Aliter eam definit *AZO* in *sua summa C. de jure dot.* quod  
*aliter ab 1)* dos sit id, quod a muliere vel ejus Patre marito pro-  
*Azone.* pter matrimonii onera datur, ut perpetua penes eum  
 sit. Aliter *BARTOL.* in *rubr. l. 31. ff. sol. matrim.* Esse  
 2) *Bartol.* quoddam jus, in se continens id, quod a muliere, vel  
 ejus patre marito traditur, vel pro tradito habetur,  
 propter sustinenda matrimonii onera. Aliter iterum  
 3) *commu-* alii, & communiter a *Dd.* ita: Quod sit res, vel uni-  
*niter.* versitas quædam, ab uxore ejusve nomine in maritum  
 translata pro oneribus matrimonii sustinendis *l. 7. pr.*  
*ff. de jur. dot. l. 20. C. eod.* Quæ autem definitio, ipso-  
 rum pace dixerim, neque ex allegatis, neque aliis legi-  
 bus probatur, cum ex iisdem saltem evinci possit, do-  
 tis fructum ad maritum pertinere, non autem, dotem  
 non esse, nisi re translata. Inciderunt in definitionem  
 dictam sine dubio ex illo præsupposito, dotem prom-  
 issam proprie non esse dotem, contra expressos tex-  
 tus *l. 11. C. sol. matr. l. 43. §. 1. ff. de admin. & peric. tut. l. 1.*  
*§. 1. ff. de collat. dotis l. 6. C. de dot. prom. l. 9. C. de pact. con-*  
*vent. COSTAN.* de *dote cap. 2. n. 12.* Etsi dos non adsit  
 in existentia, bene tamen in essentia, secundum quam  
 accuratæ definitiones concipiendæ omnes. Quare et-  
 iam dos promissa in essentia vera & proprie sic dicta  
 dos, quemadmodum mutuum promissum in essentia  
 verum manet mutuum. Alias dos adhuc constituen-  
 da, vel promissa plane esset nihil, nec definiri possêt,  
 con-

*Dos promissam proprie est dos.*

*Dos in essentia non existens consideratur.*

consequenter contra patrem, vel alium, ad constituendam, vel promissam dotem præstandam, agi non posset. Sin autem aliquid est, erit definitum, & suam habebit definitionem, omne enim definitum sua gaudet definitione.

## §. VI

Nobis placet dotem ita definire. *Dos est res, quæ Definitio ex parte mulieris ad onera matrimonii facilius sustinenda realis. marito cum jure domini conceditur.* Generis loco ponitur *Res*, quod vocabulum generale est. *l. 1. ff. de reb. cred.* Res igitur omnes, hominum commercio non exemptæ, five sint mobiles, ut: pecunia. *l. 26. 48. 67. ff. de jur. dot. Explicatio. l. 41. ff. sol. matr. five immobiles l. 30. C. de jur. dot. ut: fundus. l. 27. 48. ff. eod. lapicidinæ l. 32. eod. five corporales, ut: animalia, vestes l. 10. pr. ff. de jur. dot. five incorporeales, ut: usufructus l. 7. §. 2. l. 66. ff. eod. l. 6. ff. de usufr. hereditas l. 13. §. 10. ff. de hered. petit. nomina l. 2. C. de O. & A. tot. tit. f. de reb. corp. & incorp. intelliguntur. Cetera definitionis verba ad differentiam pertinent. Ponitur: *Ex parte mulieris*, quia non vir, sed vel mulier ipsa, vel ejus intuitu alius dotem constituit *tot. tit. ff. & C. de jur. & dot. promiss.* & hoc casu perinde est, ac si mulier ipsa dotem attulisset *l. un. §. 13. C. d. R. U. A. l. 9. in f. C. de pact. convent.* Deinde: *ad onera matrimonii sustinenda*, dos enim non est, nisi matrimonii interviat oneribus *l. 76. ff. l. 20. C. de jur. dot.* Additur: *facilius*, ne sensum habeat ac si plenariè ad sustinenda matrimonii onera sufficere debeat, ita ut vir nil contribuat; notum enim est maritum talia onera, dote etiam constituta nulla, sustinere teneri *l. 7. pr. ff. de jur. dot.* Denique extat: *marito cum jure Domini conceditur*, non quidem dominium naturale, sed tantum civile, quod*

maritus constante matrimonio actu exercet, intelligitur, *pr. f. quib. al. lic. l. non. l. 13. §. 2. ff. de fund. dot. l. 7. §. 3. 25. 75. ff. l. 23. C. de jur. dot. l. 7. pr. l. 10. §. 3. ff. l. 20. C. cod. l. un. §. 9. C. de R. U. A. ECKOLT ad Tit. ff. de A. R. D. §. 3.* quo vocabulo: *Conceditur*, autem non ipse traditionis actus, multo minus traditio jam facta exprimitur; cum sermo noster, ut thesi proximè antecedenti dictum, non sit de dotis existentia, sed essentia.

## §. VII.

*Divisiones.*

Dividitur in profectitiam, quæ sit vel a patre *l. 5. §. 1. & 11. ff. de jur. dot.* vel ejus nomine ab alio *l. 5. §. 2. ff. cod. & adventitiam, quæ aliunde fit. l. 5. §. 6. ff. de jur. dot.* Porro in constitutam & promissam, necessariam & voluntariam, veram & putativam. *l. 17. ff. de reb. aut. jud. poss.* quæ tamen proprie dos non est. *l. f. C. de donat. propter nupt. l. 3. ff. de jur. dot.* habet tamen æqualia dotis privilegia *l. 22. §. f. ff. sol. matrim.* in æstimatam & inæstimatam, congruam & incongruam. Denique in numeratam & cautam *tot. tit. C. de dote cauta & non numerat.*

## §. VIII.

*Constituitur necessitate a patre.**a matre.*

Constituitur 1) *ex juris necessitate a) a Patre, Avo, filiam vel neptem in potestate habente. l. 19. ff. de rit. nupt. l. f. C. de dot. prom. l. 6. C. de collat. l. 7. §. f. 8. ff. de in rem verso CARPZ. p. 3. c. 11. def. 35. n. 2.* Nulla distinctione habita, an sit formosa nec ne, cum hac in re Leges nil disponant, quamvis Babylonii deformes tantum dotarent, teste HERODOTO *in Cl. β) à matre certo respectu ex magna nempe & probabili, puta; si filia a patre ad inopiam redacta, vel in egestate mortuo, dotem consequi & sine ea nubere nequeat & periculum impudicitiae adsit. PEREZ. ad C. de dot. prom. n. 14. CARPZ.*  
de

NON PROMISSA, NON PRÆSTANDA.

de *Jur. fam. sing. Dec. 5. pos. 1. n. 14. & seqq.* vel lege speciali expressa causa l. 14. C. de *jur. dot.* sic filiam orthodoxam dotare mater tenetur hæretica l. 19. C. de *hæret.* Item ab avo materno a. l. 14. C. de *jur. dot.* nam sicuti patris appellatione venit avus paternus, ita & matris appellatione avus maternus *BALD.* in l. 34. n. 2. ff. de *negot. gest.* 2) libera voluntate à quocunque alio qui re de suis valet disponere.

Patris appell. avus paternus, matris maternus.

§. IX.

Subintelligitur autem pater, mater dives, nam hi facultatibus exuti vel debitis involuti multis, ita ut ipsorum facultates ad filiam dotandam non sufficiant, ipsa filiam dotare prohibentur impossibilitate. Sin autem in creditorum fraudem quid sit factum, dotis constitutio pro nulla declaratur l. 10. §. 14. in f. l. 25. ff. quæ in fraud. cred. *CARPZ.* de *Jur. fam. Dec. 5. pos. 1. n. 37.* dos enim non debetur antequam paternis sit satisfactum creditoribus l. 8. §. 9. ff. de *inoff. test.* cum prius bona & facultates non intelligantur l. 72. ff. de *jur. dot.* l. 39. §. 1. ff. de *V. S.* secundum enim patris facultatum modum alia inter requisita dos constituitur l. 60. 69. §. 4. ff. de *jur. dot.* l. 43. ff. de *Leg.* 3. Nollem vero cum consuetud. introduci nequit ut filia ante exsolventur, ut filia ante æris exsolutionem ex Feudis solentur, doti enim non ita favendum, ut aliis faciamus injuriam. C. II. X. de *for. compet. feud. doren.*

§. X.

Fit expresse non tacite, cum sit facti l. 7. §. ult. ff. de *curat. furios.* juncta l. 1. C. de *dot. cauta.* quare probanda l. 2. ff. de *probat.* etsi vir dote esset dignus, non tamen mulier, sua bona in dotem dedisse, censetur, siquidem etiam sine dote esse potest matrimonium l. f.

Consuetud. introduci nequit ut filia ante exsolventur, doti enim non ita favendum, ut aliis faciamus injuriam.

*C. de repud. auth. C. de nupt. §. si quis enim:* Hinc nec munera nuptialia, nec nuptiales sumtus dotis nomine venire possunt. *a. l. 50. ff. famil. hercisc. CARPZ. P. 1. c. 28. d. 87. & 88.* potissimum cum potius ad honorem & estimationem patris pertineant, ac proinde præsumatur donatio *BART. in l. 3. n. 17. si is qui duos ff. de muner. & honor. MATTH. COLER. P. 1. Dec. 62. n. 29.* Nisi tales a patre in dotem sint imputati *CARPZ. P. 3. c. 11. d. 22.* ubi præj. Daß ihr bemelte Hochzeit und Verlöbnuß Kosten nebst dem Hochzeit Geschenk dotis loco empfangen und angenommen. Licet semel constituta in primo matrimonio, postea, si aliud nil obstat, in secundis nuptiis renovata censeatur *l. 30. 40. ff. de jur.*

renovata  
censeatur.

Conjectura-  
ta probatio  
nonnunquam  
admittitur.

dot, & nonnunquam conjecturata probatio pro dote admittatur *CARPZ. P. 2. c. 16. d. 11. n. 9. & seqq. SCHIL-TER Prax. Jur. Rom. Diss. 36. §. 83.*

§. XI.

Denegatur.

Denegatur filix 1) naturali *arg. l. 41. §. pater 11. ff. de leg. 3. l. 8. C. de natur. liber. multo magis 2) spurix. STRUV. Ex. 30. th. 3. circ. med. 3) non indignæ *arg. l. ult. C. de dot. prom. l. 5. §. 7. ff. de agn. & aled. lib. BACHOV. ad Vol. 2 Treutl. D. 7. th. 2. lit. C. WIESENB. ad Tit. ff. de jur. dot. th. 8. CARPZ. p. 2. c. 42. d. 13. 4) Indignæ aut exhæredatæ PEREZ. ad Tit. de dot. prom. n. 6. 5) hæreticæ *l. 19. C. de hæret. qui autem dicantur hæretici vide sis CARPZ. p. 3. c. 14. d. 10. 6) emancipatæ *l. 19. ff. de rit. nupt. l. ult. C. de dot. prom. l. 5. §. 12. l. 51. ff. de jur. dot. 7) sine facta mentione dotis in matrimonium collocatæ *a. l. 2. ff. de jur. dot. & 61. eod. vid. CARPZ. p. 2. c. 39. d. 18. n. 3. de qua nostra disputatio.*****

§. XII.

an frater ad

Priusquam alia aggrediamur non incongrue quaeritur:



ritur: An frater ad sororem dotandam cogi possit? *dotandam*  
 Affirmant hoc de germano & consanguineo quidam, *sororem co-*  
 inter quos *COMPEG. de dote qu. 23. BACHOV. ad Tit. si possit?*  
*de jur. dot. th. 3. LIPSK. Cent. 2. O. 27. n. 14. SCHNO-*  
*BEL ad ff. Disp. XIV. th. 19. nominandi veniunt, & qui-*  
 dem *arg. l. 13. §. 3. ff. de adm. & peric. tut.* Contraria  
 tamen sententia erit verior, quia ne quidem mater, tan-  
 quam proximior regulariter ad dotandum obligata *l.*  
*14. C. de jur. dot.* Ex dicta *l. 13.* etiam nil nisi hoc col-  
 ligendum, ex pupilli voluntate præsumta tutorem so-  
 rori consanguineæ & germanæ dote succurrere, nequa-  
 quam autem ad id cogi posse, extant enim ibi hæc  
 verba: *Etsi honeste, ex liberalitate tamen fit, servanda pu-*  
*pilli arbitrio* notum siquidem est, tum ex hac, tum  
 aliis legibus, tutori tam expensas valde probabiles  
 quam necessarias esse restituendas *tot. tit. ff. de contr.*  
*tut. & utili act.* Excellent. *Dr. BERGER. in Resol. LL.*  
*obst. ad Comp. Lauterb. Tit. 3. lib. 23. qu. 4.* Cætera ru-  
 bricæ verba, cum sint notissima, nulla habent opus  
 explicatione.

## §. XIII.

His præmissis extra omne dubium est positum,  
 dotis dationem haud juris esse naturalis, sed tantum *Dotis datio*  
 juris Romani *ZIEGLER de dot. Eccl. c. 4. §. 10. 11. adeo* *non est juris*  
 que non de matrimonii substantia, cum matrimonia *naturalis.*  
 etiam sine dotibus subsistere possint *l. 11. pr. C. de repud.*  
 qualia indies celebrari videmus. Apud Lacedæmonios *Lacedæmo-*  
 dotis præstatio planè erat prohibita, ut non tam divi- *nii dotem*  
 tiis, quam virtutibus nuptiæ conciliarentur *PLUT. in Lac. prohibebant*  
 Secundū leges Teutonicas contra non uxor marito, sed  
 maritus uxori dotem afferebat. vid. *CORNEL TACIT. de*  
*Mor. Germ. c. 18. cum MICYLLI versione germanica. ibi: & §*  
*pflegt*

pflegt aber auch nicht das Weib dem Manne/ sondern der Mann dem Weibe die Ehe-Steuer/ oder Morgen-Gab zuzubringen/ bey welchen alsdenn die Eltern und Verwandten pflegen zu seyn/ und dieselbe Ehe-Steuer und Geschenk zu loben? Sic apud THEOCR. Eidyll. 27. puella dicebat daphni: καὶ τί μοι, ἔδνον ἀγεις, γάμος ἀξίον, ἢν ἐπιθεύσω. i. e. sed quam mihi dotem affers, nuptiis dignam, si annuero. Angli quoque contra reipublicæ Romanæ morem uxores dotabant munificentissime, quod & Græci antiqui & Hebræi non intermittebant plur. vid. in Lex. univ. HOFFMANNI sub voce dotis.

## §. XIV.

Qu. an dos  
à patre peti  
possit, ma-  
trimonio  
absq; facta  
dotis men-  
tionem con-  
tracto.

Alii affir-  
mant, alii  
negant.

Cum itaque dotis constitutio non absolutæ sit necessitatis, & matrimonia potius affectu & consensu contrahi debeant l. f. pr. C. de donat. ant. nupt. l. f. C. de repud. quæstio, in qua negotii cardo posita, venit ventilanda: UTRUM MATRIMONIO, ABSQVE FACTA DOTIS MENTIONE, CONTRACTO, PATER NIHILOMINUS AD DOTANDUM COGI POSSIT? Dd. communiter affirmativæ; Nonnulli verò negativæ in hærent sententiæ. Ex illis nominasse sufficiat CARPZ. part. 1. Dec. 16. n. 2. & seqq. GAIL. Lib. 2. Observ. 87. n. 6. it. Obs. 95. n. 10. & seqq. PEREZ ad C. de dot. promiss. n. 10. STRUV. in Synt. Jur. Civ. Ex 30. th. 7. vers. notabis etiam hic. Ex his Magnif. Dn. BODINUM in Diss. de Renunciat. dotis facta Hale & Magd. 1709. habita SCHNEIDEW. ad Inst. Lib. 4. Tit. 6. de Act. pro dote n. 81. BART. ad l. 5 2. ff. de Obligat. & Act. conf. BECHM. in Diss. de mulier. privileg. §. 26. in med. STRAUCH ad Univ. Jus Justin. priv. Dissert. 3. apb. 3. BACH. ad Treutl. V. 2: Diss. 7. th. 2. lit. B, GROSS. in Colleg. Inst. Diss. 2. quæst. 5. Utro-

Utrorumque rationes in medium proferamus, & cujus sint præponderaturæ, examinabimus.

## §. XV.

Affirmativam defendentes sententiam allegant 1) *Affirmant.*  
*l. 19. ff. de ritu nupt.* ubi patri hæc duo essent observanda: *rationes &*  
 ut  $\alpha$ ) filiam suam matrimonio honestè collocet &  $\beta$ ) *fundamen-*  
 pro facultatum & dignitatis modo dotet; Quamvis i-  
 gitur primum adimpletum sit, attamen alterum quo- 1)  
 que adimpleri deberet, quia, ubi duo requirerentur,  
 conjunctim, non sufficeret alterum fieri *l. 5. ff. de cond. in-*  
*stit.* Nam quotiescunque duæ rationes alicujus dispo-  
 sitionis adessent, si saltem unica subsit, ratio altera ces-  
 sans non faceret cessare dispositionem *l. 11. §. 1. ff. de his*  
*qui not. infam.* 2) *l. ult. C. de dot. promiss.* Paterni esse 2)  
 officii dotationem: quæ lex generaliter esset con-  
 cepta; generaliter autem prolata, generaliter etiam esse  
 intelligenda *l. 8. ff. de publ. in rem. act.* 3) genero pro 3)  
 matrimonii oneribus dote succurrendum esse, fieret enim  
 in illorum compensationem *l. 76. ff. de jur. dot.*  
 4) ne mulier nupta, si dotem haud offerat competen- 4)  
 tem, viro sit contentui *N. 22. c. 18.* Quare ut talis e-  
 vitetur contentus, sitque inter conjuges non corporum  
 solummodo, sed & arctissima animorum conjunctio,  
 dos a patre constitui deberet, sive eam promiserit,  
 sive non. *GAIL. lib. 2. Obs. 95. n. 13.* 5) quod dos 5)  
 alimentis æquiparetur, eorumque eadem sit ratio,  
 quæ dotis. *MATTH. de AFFLICT. Dec. III. n. 10.*  
 imo ejusdem causam favorabiliorem esse, eo quod pater  
 non cogatur alere filiam divitem, bene autem dotare  
*BALD. ad l. ult. C. de dot. promiss.* Nunc certum esse,  
 alimenta jure naturæ deberi, ac sic dotem plane non  
 denegari posse *GAIL. Lib. 2. Obs. 95. n. 14. & seq.*  
 C 6) dotis

- 6.) dotis petitionem semper manere salvam, quia vicem legitimæ contineret *KNIPSCH. de Fideicommiss. Fam. c. II. n. 266. 267.* in cuius præjudicium nil committere liceat *vid. CUCCH. ad auth. Noviss. C. de inoff. Testam. p. 7.*
- 7.) Interesse reipublicæ, ne mulieres indotatæ manent *l. 1. ff. sol. matr.* Ad suæ & consentientium opinionis confirmationem *CARPL. ad Const. Elect. p. 2. c. 42. d. 12.* allegare videtur sententiam in causa *D. Philipp. Janovii.* zu Esleben Mens. April. An. 1632. pronunciatam: Habt ihr eines Kauffmanns / der mehr nicht / als 3. Kinder / und in die 20000. Thlr. vermag / Tochter gehyrathet / und ob wohl ihr seithero die onera matrimonii getragen / und Vermöge derer Rechte ein jeder Vater seine Tochter zu dotiren schuldig ist / hat er sich doch durch vielfältiges Ansuchen hierzu nicht verstehen wollen; So wird er auf vorhergehende eure gebührende imploration von dem richterlichen Ampte eurem / auch seinem Stande und Vermögen nach / euerm Ehe-Weibe eine Mitgift zu verordnen / und euch abfolgen zu lassen / billig angehalten.

Præjud.

## §. XVI.

Negant.  
fundamen-  
ta.

Rationibus non destituuntur statuentes, PATREM, NON FACTA DOTIS MENTIONE VEL PROMISSIONE, POSTEA, NEMPE CONTRACTIS NUPTIIS, AD DOTATIONEM NULLATENUS ESSE COMPELLENDUM. Non esse ignotum, Imperatores propterea quidem necessitatem constituendi dotem imposuisse parentibus, ut filia, adhuc in patria potestate existentes *l. 19. ff. de rit. nupt. conditionē nubendi inveniunt l. 2. ff. de jur. dot.* (quæ ratio principalis cæteras comprehendit omnes) cum alias propter

pter matrimonii onera, matrimonia inire recusarent masculi, & inde respublica maximum caperet detrimentum *d. l. 1.* constituerent enim dotes maritis in sustinendorum onerum matrimonii compensationem *l. 76.*

*ff. de jur. dot. l. 20. C. eod.* Nunc autem notissimi esse *Ratione cessante, cessat jus.* lex esset introducta, cesset, cessare debere ejus effectum *jus.*

& legis dispositionem *l. 77. §. 20. ff. de Leg. 2. l. 52. §. 1. C. de Episc. & Cler. CARPZ. P. 2. Dec. 166. n. 16.* causam enim magis, quam verba attendi oportere. *BALD. Lib. 2.*

*Conf. 107. c. 2. vers. quia magis debemus inspicere &c.* cum sit legis anima ratio, verba verò corporis instar, *DECIUS Conf. 70. n. 1.* Ea sine igitur pro mortua haberetur lex, & effectum producere valeret nullum, viveret enim in rationis spiritu. *CRAVETTA Conf. 460. n. 7.*

*vers. Ideo vivit lex in rationis spiritu.* Rationem autem adductam, matrimonio contracto, cessare, neminè unquam esse iturum inficias; quandoquidem nupta marito filia nubendi conditionem non amplius quæreret, acquisito enim sine, cessaret actio; Ita nec detrimentum *Matrimonio contracto cessant rationes.*

caperet respublica teneretur enim 1) maritus uxorem affectu prosequi maritali *Eph. 5. v. 25. & 28. 2)* & debitum exhibere conjugale *1. Cor. 7. v. 3.* nec 3) recusare posset matrimonii onera *l. 7. pr. ff. de jur. dot.* Non enim sequeretur, maritum nulla constituta dote uxorem nec alere, nec alia matrimonii onera ferre debere *STRUV.*

*Ex. 30. th. 5. 7.* quemadmodum Consist. Supremum, quod Dresdæ est, in causa *Michael. G. d. 26. Febr. 1620.* Dasß Beklagter ic. sein Ehe-Weib mit Unterhalt zu versorgen schuldig. *vid. CARPZ. Consist. Lib. 2. d. 205. it. Conf. Lips. in causa A. H. contra J. M. H. Mens. Jun. 1709. Kl. ist auch sein Ehe-Weib mit nothdürfftiger Kost*

*Prajud.*

*Imputare sibi debet maritus cur indotatam duxerit.* Kost und Kleidung beyderseits Stände und Vermögen nach / zu versorgen verbunden / respondit. Imputet enim sibi maritus quod indotatam duxerit, & jam ante sciverit, aut scire debuisset, matrimonia non dotibus, sed affectu & consensu constare *l. f. C. de repud. GAIL. Lib. 2. Obs. 95. n. 16.* Dos siquidem non ad matrimonii essentiam pertineret, quia etiam sine dote esse posset matrimonium *l. f. pr. C. de repud.* quamvis dos sine nuptiis esse nequeat *l. 3. 39. ff. de jur. dot. l. 1. S. p. 1. et ult. ff. pro dote l. ult. C. de donat. ante nupt.*

## §. XVII.

Habes itaque B. L. brevissimis, quæ circa hanc materiam utramque in partem afferri soleant. Mihi licebit à priorum sententia, salva tamen undiquaque illorum existimatione, recedere, & posteriorum negantium opinionem defendere, mihi habens persuasissimum, hanc sentiendi libertatem Jureperitis deberi, ne alioquin servilem in statum nostra detrudatur Jurisprudencia, & unicè in aliorum hæreamus auctoritate.

## §. XVIII.

*l. 69. S. 4. ff. de jur. dot. patrocine- tur. neg. sen- tent.* Præter allatas rationes & leges in th. I. & XV. pro negativa sententia facientes, quas & meas facio, & illuc, brevitatis studio, ne crambe bis coquatur, Lectorem remitto, patrocinator nobis alias inter leges *l. 69. §. 4. ff. de jur. dot.* ubi, decidendi & dubitandi ratione adducta, deciditur, dotem à focero, non tamen determinata re vel quantitate, promissam, petere posse generum. Quare firmiter concludendum, si dos plane promissa fuerit nulla, focerum non teneri ad dotandam filiam: nam de dote promissa præstanda quæstio non mota, nec decisio, tanquam super casum dubium, lata fuisset, sed Papi.

Papinianus ad antecedentes generales & principales leges, quales dissentientes adesse putant, tantum provocasset, si alioquin contracto matrimonio, ad dotis præstationem pater necessitate quadam potuisset adstringi.

## §. XIX.

Supra fuit dictum, patriæ potestatis intuitu principaliter obligationem ad filiam dotandam patri incumbere *l. 19. ff. de ritu nupt. l. 44. ff. de jur. dot. l. f. verb. incumbit. neque. enim C. de dot. prom. quapropter ea per emancipationem soluta, dos, quæ à patre proficiscitur, liberalitatis actus esse incipit, consequenter, non esse necessariam, sequitur a. l. 5. §. 12. l. 44. l. 51. ff. de jur. dot.*

*Patri ob P. P. dotatio incumbit. Filia emancipata non necessario constituitur dos.*

## §. XX.

Emancipatio autem est actus, quo liberi consentientes à P. P. dimittuntur *§. 6. f. quib. mod. P. P. solvitur l. 5. C. de emancip. N. 89. c. 11. pr.* Estque vel antiqua, quæ imaginaria venditione & intercedente manu *in antiqua divisione fiebat dict. §. 6. vel nova, quæ iterum dividitur in antiqua & novam.* *hac* *1) in Anastasianam.* *2) Justinianeam.* *neam.* in Anastasianam & perficiebatur Principis Rescripto *l. pn. C. de emanc.* 2) in Justinianeam, qua liberi coram competente Judice, non quidem ratione personæ, sed tantum ratione jurisdictionis competente, quocunque loco *l. 36. ff. de adopt. & emanc. à P. P. solenniter dimittuntur §. 8. f. quib. mod. P. P. solv. l. f. C. de emanc.* Desuper tale conficitur instrumentum: Wir Bürgermeister und Rath der Stadt N. thun hiermit kund und zu wissen / daß heute actio Titius vor Uns erschießen / und vorgebracht / wie Er aus bewegender Ursachen / seinen Sohn (Tochter) N. N. von der Väterlichen Gewalt loßzugeben in Willens sey; Bitte dahero diese emancipation zu confirmiren; Wenn  
C 3 denn

denn der Sohn (Tochter) gegenwärtig solches mit Dank angenommen / und sonst nichts bedenkliches darbey vorgefallen; Als haben Wir Obbrigkeits wegen / diese emancipation confirmiret / und unserm Gerichts-Buche einverleibet; So geschehen. Qui quidem Justinianus emancipandi modus est rarus, non tamen plane, ut praxis edocet, sublatus; quod enim non sublatum, cur stare prohibeatur? 3.) in consuetudinariam, quæ absque ulla solennitate, imprimis Jur. Sax. El. contingit. Aliter autem a) quoad liberos sive sint masculini, sive foemini Sexus; ubi tria requiruntur 1) ut sint majorenes, 2) separatim à patre habitent, 3) propriam œconomiam instituant Land-N. lib. 1. Art. II. verb. wenn sie sich. JOH. PHIL. ad J. Lib. 1. Eccl. 77. n. 3. CARPZ. P. 2. c. 10. d. 1. Sic ARIST. Filius veluti membrum patris est, usque dum viri locum nanciscatur, & ab ipso separetur. Aliter ß) quoad filias solas, quæ statim post matrimonium contractum à P. P. liberantur, PHILIPP. d. l. n. 5. MATTH. BERLICH. p. 2. concl. II. secus quam jure civili l. 1. §. ult. & l. 2. ff. de liber. exhib.

Justinianeus emancipandi modus non est sublatus.

3) consuetudinariam, aliter quoad liberos utriusque sexus.

aliter quoad filias solas.

### §. XXI.

Liberata itaque est a Patria Potestate filia nupta à P. P. est & sic pro emancipata habetur 1) Jure Sax. Transit enim, statim celebratis nuptiis, in potestatem & curam mariti in art. 31. verb. Wenn ein Mann ein Weib nimmt. Land-N. Lib. 1. It. art. 55. verb. der Mann ist auch seines Weibes / Land-N. Lib. 3. Quod ZOBEL in addit. ad dict. art. 31. Land-N. Lib. 1. lit. F. HENNING GOEDEN Conf. 66. n. 17. & alii non concedunt, cum textus allegati saltem de tutela & cura accipi debeant, qua non obstante uxorem in patris potestate manere.

Dissent. Zobel.



manere. Sit ita, textus allegatos de tutela & cura tantum loqui; Attamen ZOBELII sententia, ex juris ratione subsistere nequit, cum P. P. aliquem in alterius cuiusdam vivere cura non permittat, per expr. §. 3. *J. de Tutel.* quare cum uxor omnium confessione in marito sit cura, à P. P. filiam liberari optime statuunt ANDR. RAUCHBAR. P. 2. *quæst.* 18. n. 24. BERLICH. P. 2. *Dec.* 222. Cui Jur. Sax. respondebat olim <sup>2) Longobardorum.</sup> Longobardorum *Jus.* Non minus passim locorum <sup>3) Italorum.</sup> Italia ejusmodi statuta extare autor est GVID. PANCYROLL. Lib. 1. *Thef. var. Lect.* cap. 92. Quod & <sup>4) Divino.</sup> *Jure divino* Gen. 3. v. 16. 1. Cor. 11. v. 3. Eph. 5. v. 22. 23. <sup>5) Canonico</sup> *Jur. Canon.* c. quæcunque 2. dist. 30. c. manifest. 11. c. 33. q. 5. convenit. Et denique <sup>6) moribus.</sup> *moribus hodiernis.* ita ut talis emancipatio per totam Franciam, ut testatur CHAROND. ad *Consuet. Paris.* art. 223. MANSV. LOVET. & Germaniam, imo per totam Europam sit in usu JOH. HARPR. ad *Tit. J. quib. mod. P. P. solvitur* n. 7. FOMANN in *Syntag. Jur. Diss.* 3. *th.* 3. *lit.* H. & quidem ita, ut, soluto matrimonio, neutiquam filia in Patriam recidat potestatem: jus enim P. P. semel extinctum non reviviscit *l. 66. §. 1. ff. de Leg. 2. l. 98. §. 8. ff. sol. matr.* Ex quo sponte fluit quæstionis illius: An pater filiam etiam ad secunda vota dotare teneatur? *Decif. Neg.* quamvis *Jur. Civ.* quia nupta in P. P. matinet *l. 1. §. ult. l. 2. ff. de lib. exh.* affirmativa defendi possit propter *l. 19. ff. de Jur. dot. vid. Colleg. Arg. Tom. 2. Tit. de Jur. dot. th. 5.*

## §. XXII.

Me autem non latet Dd. nonnullos velle statuere, Patrem esse obligatum etiam ad filiam emancipatam dotandam allegant ea propter verba, ut perhibent, <sup>Emancipatam esse dotandam nonnulli statuerunt PP. l. f. G. d. dot. prom.</sup>

Resp. ad d. l. generalia l. f. C. de dot prom. ibi enim extaret, Paternum esse officium. Sed resp. 1) hæc verba non esse dispositiva, sed relativa. Sic namque Imperator in d. l. loquitur. *Neque leges incognitæ sunt, quibus cautum est paternum esse officium.* Relativa autem secundum qualitates omnes, quæ in relato, sunt intelligenda l. 15. §. testat. ff. de alim. legat. ac certe perinde est, an per relationem quid proponatur, an per narrationem, ut refert ex BALD. PHILIPPO DECIUS Conf. 647. n. 3. in relativis igitur id continetur, quod est in relato. Relatum est in l. 19. ff. de ritu nupt. l. 5. §. 12. l. 44. ff. de jur. dot. ubi patri, qui filias habet in potestate, dotationis onus demum imponitur. Præferuntur igitur, textus in quibus principaliter hæc quæstio tractatur, præ illis, in quibus minus principaliter de ea agitur. 2) Non agi de quæstione: An Pater filiam dotare sit obstrictus? sed an in dubio de suis, an de filia bonis constituisse videatur dotem? 3) Probe notandum hæc in lege non agi de necessitate, sed de liberalitate? reperiuntur enim ibi sequentia: *Liberalitas itaque patris &c. in necessitatibus autem liberalitatem exercet nemo l. 18. ff. de adim. & transleg. & sane, si pater etiam dotare teneretur emancipatam, inanis omnino foret quæstio l. 45. ff. de jur. dot.* An nimirum emancipatione, dotis resolvatur promissio? vid. PEREZ Tit. C. d. dot. prom. n. 6. STRUV. Disp. 24 th 2.

## §. XXIII.

Objicitur etiam l. 5. §. 1. & 12 ff. de agn. & al. lib. Quod argumentum autem non affirmative, bene tamen negative procedit. Ita dicere possum, qui non alimenta debet, non etiam dotem debet constituere, aſt non vice versa,

fa, qui alimenta debet, ad dotandum tenetur, in confesso enim est patrem filix naturali dotem non debere *arg. l. 41. §. 11. ff. de Leg. 3.* nisi ex jure expressæ obligationis, & in *l. 8. C. de natur. lib.* patri datur licentia, non vero imponitur necessitas, ut ut patri talem filiam alere incumbat. *auth. licet. C. d. l.* Ideo videmus nullam esse consequentiam ab alimentis ad dotem affirmativè argumentari. *BECHM. in Diss. de Jur. Vid. p. m. 40. Add. ARNOLD. VINN. Lib. 2. c. 14. Select. quæst.* Multò minus nostro casu locum hæc invenire potest objectio; cum à marito, ut supra dictum, alimenta uxori sint exhibenda, ac ita locus ab alimentorum præstatione planè sit liber, quàmvis soluto matrimonio, si non habeat, unde vivat, huic succurrendum sit *a. l. 5. §. 7. in f. de agn. & al. lib.*

## §. XXIV.

Si igitur filiabus, Justiniano modo emancipatis, dos non debeatur *a. l. 19. ff. de rit. nupt. l. 5. §. 12. l. 44. l. 51. Maritate ff. de jur. dot. l. 2. §. 1. ff. sol. matrim.* non ambigendum, dos non dequin ipsis, matrimonio contracto, propter solutam P.P. betur ob so- dos jure denegetur. Eadem ratio, idem statuit jus *l. lutam P. P. 32. ff. ad L. Aquil. l. 104. ff. de V. O. l. 7. C. de revoc. donat.*

## §. XXV.

Affirmantium argumentis §. XV. adductis tandem *Ad affir-* erit satisfaciendum. Quod igitur 1) *l. 19. ff. de ritu nu-* ptiarum concernit, advertendum, in ejus pr. non co- *rationes §.* pulativè sed disjunctive posita esse verba: *prohibuerint* 15. *respond.* *vel nubere, vel qui dotem dare non volunt,* in disjunctivis *1) ad l. 19. ff. de rit. nupt.* autem unicum sufficit præstitisse *l. 5. ff. de condit. instit.* nec obstat quod in *sine l. in matrimonium collocare & do-* *tare:*

*tare*: copulentur, cum præsupponatur: si pater filiam nubere prohibuerit: vel ejus matrimonium distulerit. *vid. BRUNN. ad b. l. qui casus autem ad nuptiam applicari nequeunt. Accedit, Imperatoris mentem esse, patrem filiam non facile sine dote in matrimonium posse collocare, adeoque, si sine hac nubere nequeat, ad dotandum teneri, prout totus suadet contextus. Res clarior evadet, si in dotationis rationem inquiramus, quam l. 2. ff. de jur. dot. suppeditat: UT NUBERE POSSIT, quæ etiam ab ipsis dissentientibus, tanquam principalis ratio, admittitur. vid. CARPZ. P. 2. c. 42. d. 12. n. 2. & absque omni dubitatione ad futuras, non contractas pertinet nuptias. vid. BRUNN. ad d. l. 2. ff. de jur. dot. præter hanc autem nulla alia neque in d. l. 2. neque d. l. 19. reperitur; Quæ cum cesset, & dotationem cessare debere, necessario sequitur.*

## §. XXVI.

Urgetur 2) *l. ult. C. de dot. promiss.* ubi dotem dare paterni esset officii, nec legem distinguere, an filia sit nupta, nec ne. Cum autem hæc lex in hoc passu se tantum relativè ad alias leges principales habeat, ideo etiam nulla probationis vi gaudet, *vid. §. 22. sed decisio ex l. 2. ff. de jur. dot. & l. 19. ff. de rit. nupt. desumenda, quæ paternum officium ad nondum maritam filiam restringunt. vid. §. 16. & 25.*

## §. XXVII.

*Removetur  
3) argumen-  
tum.*

Levioris ponderis est 3) argumentum à matrimonii oneribus, quibus dos inserviret, delutum, si consideretur, id jam in dotis definitione comprehendi, idcirco pro separato argumento non esse allegandum. Nam si de dote loquor, loquor etiam de ferendis matrimonio.

trimonii oneribus, vel si pro separato habeas, res semper eò recidit: *ut nubere possit.*

## §. XXVIII.

In totum verò est rejiciendum 4) fundamentum, *Refutatur* cum hoc non tantum nullibi in legibus fundatum: sine 4) *ratio* lege autem loqui erubescendum; sed & bonis adver- *fundament.* setur moribus; non enim sunt facienda mala, ut inde eveniant bona *c. 13. X. de penit. c. 56. d. 15. ad Rom. 3. v. 8. BALDUIN. Lib. 3. Cas. Consc. cap. 5. cas. 11.* Pro stabilienda sententia à *CARPZ. P. 1. Dec. 16.* allegata quidem fuit *N. 22. c. 18.* ast hoc caput ipsi contrariatur, magis, quam opitulatur, ibi: *indotata matrimonia, irrationabilibus factis divisionibus, castigationi tradantur competenti &c.* quare dictum caput, propositum & legibus minus convenientem, sed potius absurdum sensum plane respuit, qui & alias ab omni dispositione rejiciendus *l. 7. ff. de bon. lib. l. 1. §. 4. ff. de publ. & vestig.* Absurdum autem dicitur *græcis ἀνοσιον καὶ ἀλογον*, in quo neque ratio, neque æquitas militat, sed ex quo omne malum aptum est venire. *NIC. EVERH. in Loc. de absurdo 23. n. 8.* Mariti enim officium non in eo consistit, ut pecuniam amet, uxorem vero spernat. Propter unumquodque aliquid est tale, id magis est tale; sed ut maritam candido prosequatur amore ad *Eph. 5. v. 25.* & omni præferat lucro concordiam conjugalem *l. 5. C. de inst. & subst.* curetque, ut sit velle ac nolle ambobus, nam

*Parvis dives concordia rebus.*

quod & nonnulli observant, qui potius sincero amore, quam avaritia adducti, matrimonia contrahunt, quæ multo feliciores dotatis sæpissime esse solent. *Qualis*

lis autem amor & concordia sit in contemtu, non intelligo?

## §. XXIX.

5) ratio re-  
mouetur.

Frustra 5] dubium movetur de æquiparatione dotis & alimentorum, siquidem horum & illius diversissima est ratio: alimenta enim liberis naturæ jure debentur *HUG. GROT. de J. B. & P.* secus quam dos, quæ, ut §. 13. dedimus demonstratum, non absolutæ est necessitatis; nec *BALD. ex l. f. C. de dot. promiss.* dotis causam, eo quod pater filiam divitem non aliat benè tamen dotet, esse favorabiliorem demonstravit, cum potius ex d. l. f. contrarium probari possit.

## §. XXX.

item 6)

Debiliori fundamento 6] legitimæ vicem 'dotem' sustinere statuitur, cum invicem multum differant. Dotis debitum est conditionale, *l. 71. §. 3. ff. de condit. & demonstrat.* Legitima vero sine omni conditione debetur. Illa porro ante patris obitum petitur, non autem hæc, quæ demum post patris mortem; viventis enim non est hereditas, ex hereditate debetur. *l. 8. §. 6. & 8. ff. de inoff. testam.*

## §. XXXI.

7)

Non minus facili negotio 7) argum: Reipublicæ interesse, ne mulieres maneant indotatæ; satisfiet, si dicatur: hujus rationem *in l. 2. ff. de jur. dot.* expressam, hic cessare vid. §. 16. Denique allegatum *CARPZOVII* præjudicium concernens, notandum, immediatè ibidem præcedentem definitionem de eo casu non loqui, sed patrem filiam dotare teneri, eum ad effectum, ut nubere possit, atque adeo ad hæc præjudicium allegatum erit

erit restringendum, vel de promissa a patre dote subintelligendum,

## §. XXXII.

Satis sine dubio ex dictis apparebit, firmo adhuc stare fundamento: **CONTRACTO MATRIMONIO A PATRE DOTE, NISI EAM PROMISSERIT, PETI NON POSSE**, quæ ratione modo fundamemat, cum nondum celebratis nuptiis de constituenda, vel promittenda dote filia vel gener sollicitus esse debuisse; Ita ut ad minimum, si ulterius quid impetrare haud valuerit, de sibi facta nuda dotis promissione sit certus, sola enim promissione dos constituitur *l. 43. §. Solo promissio dos constituitur* *l. 43. §. Solo promissio dos constituitur* *l. 20. 43. 44. §. ff. de jur. dot. l. un. C. de R. U. A.*

## §. XXXIII.

Hac occasione non inutiliter movetur quæstio: *Quæstio. An promissa dos, non tamen demonstrata re vel quantitate missa dos alicujus sit efficacia?* De Patre affirmatur &, prout §. 18. non demonstravimus, res expedita *per l. 69. §. 4. ff. de jur. dot.* Sed quid de desponsata & extraneo dicendum? De illi a sententia negativa est verior, quia ejus interest, quoties ipsa dotem promissit, ut dotis promissionem ad quantitatem redigere possit minimam, ut reliqua bona ei sint paraphernalia *l. 1. i. C. de dot. promiss. ubi GODOF. lit. G.* *De Patre affirmatur. De sponsa neg.* Etsi Jur. Sax. foemina sibi minimè consulat cum marito hoc jure etiam in paraphernalibus competat ut fructus *Land. R. Lib. 1. a. 31. & 45. CARPZ. p. 4. c. 21. d. 7. n. 7.* & in creditorum concursu ad ea bona dotis privilegium extendi nequeat *RICHTER de Credit. conc. c. 3. Sect. 1. n. 105. & seqq. MYNS. s. O. 4.* Secus est in extraneo promissore, in quo affirmativa decisio ap- *de extraneo in idem affir-* pre- *matur.*

prehendenda, ob dotis enim favorem singularem *l. 9. C. l. 9. §. 1. ff. de jur. dot. l. 1. ff. sol. matrim. l. 25. C. ad SCtum Vellej. REINHART BACH. ad Treut. V. 2. Diss. 7. th. 4. lit. D. omnis promittens, cujuscunque sit sexus, obligatur l. 14. ff. de jur. dot. l. f. C. ad SCtum Vellej* siquidem boni viri arbitrium stipulationi, quæ semper intervenisse intelligitur *l. un. C. de R. U. A. l. 6. C. de dot. prom. STRUV. Ex. 30. th. 7.* (unde actio ex stipulatu pro exigenda dote competit) insertum esse creditur *l. 3. C. de dot. prom.*

## §. XXXIV.

Negantium igitur sententia ex fontibus Jur. Romani est defensa, quamvis nonnulli non sine ratione statuant, jus Romanum in dotis materia in Germania non esse receptum. Non enim ignotum esse, quod Germanorum moribus, non uxor marito, sed maritus uxori dotem obtulerit, qui per introduct. LL. Romanarum, tanquam subsidiarum, non essent sublata, vid. SCHILTER in Praxi Jur. Rom. Ex. 36. th. 7. §. nec ullibi istam consuetudinem abrogatam, aut unquam dotem judicialiter à patre fuisse exactam, legatur.

## §. XXXV.

Ne autem lis inutilis & plane temeraria contra respectum paternum focero intendatur, statuendum firmiter, eos, qui judicis officium hac in re implorant, statim à judicii limine repellendos, & Areopagitas, prudentissimos Atheniensium quondam Judices, in eò esse imitandos, ut actorem vel implorantem Judex post annos centum redire jubeat. Sic promoveretur justitia, & altercationibus rixosis frenum imponeretur.

*Areopagitas  
imitandi.*

## §. XXXVI.



Hæc sunt, quæ pro instituti ratione dixisse sufficiant. *Conclusio.* Cæterum velis C. L. omnia in meliorem interpretari partem, quæ festinante, & multoties interrupto calamo in has pagellas sunt congesta, præsertim quia in incendio horribilissimo, quod dilecta Patria Camentium circa festum Pentecostale anno 1707. perpessa est, libri impresi cum manuscriptis, quos ne auro quidem commutarem, periere. Si quid noveris istis rectius, imperti candidus; sin minus, his mecum utere. Numini vero immortalis immortales & devotissimas pro concessis viribus persolvo gratias, cujus gratiæ me meaque studia commendo.

TANTUM.



CLARISSIMO DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R Æ S E S.

**R**Eddo Tibi his litteris dissertationem Tuam, nobilissime Candidate, doctissime a Te elaboratam, & laudo conatus Tuos, quod pro materia ad disputationem inauguralem, non inutile thema, sed, quod in ipsis rerum obtinet documentis, & in praxi vsitatissimum est, elegeris. Ostendisti hoc ipso vires ingenii Tui, dum sententiam publice ventilandam proponis, quæ a communi doctrina plerorumque recedit, idque argumentis admodum probabilibus. In quam vtut ego tecum descendere non possim, iustum tamen æquumque fuit, pro libertate in Academiis recepta, permittere, vt Tuo indulgeas ingenio. Gratulor interim Tibi de egregiis Tuis profectibus, & eruditione non vulgari, & precor Deum, vt omnia Tua studia diuina sua benedictione coronet. Vale.

Halle, Diss., 1710 S

ULB Halle  
003 768 961


3



TA 106

Mus. Stk. 13<sup>29</sup>





1677.

15

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
DE

**D O T E**  
**NON PROMISSA,**  
**NON PRÆSTANDA,**

1710

1900

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIÆ, DUC. MAGD.  
VICARIO, &c. &c.

(4)

*Ex Decreto Illustris Facult. Jurid. Ordinis,*  
PRAESIDE

**DN. JO. SAMUELE STRYKIO, JC.**  
SERENISS. VIDUÆ SAXO-ISEN. CONSIL. AULICO,  
PROFESS. JUR. ORDIN. ET FAC. JUR. h. t. DECANO,  
*PATRONO ET PROMOTORE SUO DEVENERANDO,*  
PRO LICENTIA U. J.

d. 5. Junii An. 1710.  
IN AUDITORIO MAJORI  
hor. ante & pomeridianis  
Publicæ Eruditorum disquisitioni submittet  
AUTOR

**THEOPHILUS HARTMANN, Cam. Luf.**  
Advoc. Ord. Budiff.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Typ. Acad.